

---

 HIST. ZARINGO-BADENSIS. 103
 

---

dubitatum, noveritis, nos binas litteras sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Pauli divina providentia Papæ quarti ejus veris bullis plumbeis Cordulæ Canapis more Romanæ curiæ impendentibus bullatas sanas siquidem & integras, non viciatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicioue carentes, ut in prima facie apparebat nobis per Illustrissimum Principem & Dominum Philipertum, Marchionem Badensem, nec non Illustrissimam Principissam, Dominam Mechtildem ex Ducibus Baviaræ &c. principales in dictis litteris Apostolicis principaliter nominatos, præsentatas cum ea qua decuit, reverentia recepisse hujusmodi sub tenore: Paulus Episcopus, Servus servorum Dei, dilecto filio nostro Othoni tituli sanctæ Sabinæ Bresbytero Cardinali Augustensi nuncupato salutem & apostolicam benedictionem: Oblatæ nobis nuper pro parte dilecti filii, nobilis viri Philiberti Marchionis Badensis & dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Mechtildis ex Ducibus Baviaræ petitionis series continebat, quod olim ipsi desyderantes invicem matrimonialiter copulari ac non ignorantes se tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, sponsalia inter se contraxerunt carnali copula minime subsecuta, cum autem desiderium eorum in hac parte adimplere nequeant dispensatione Apostolica per eos desuper non obtenta, pro parte eorundem Philiperti & Mechtildis nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis in præmissis de absolutionis debitæ beneficio & opportunæ dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati circumspeditioni tuæ, de qua in his & aliis majoribus specialem in Domino fiduciam obtinemus per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus dicta sponsalia inprimis & ante